

riorum frequens primo luci convenerat, simul plebes hostem deorum atque hominum radendumque nomen sanxere; confestimque praefecto urbi Aulo Helvio Pertinaci imperium defertur.

- 5 Hic doctrinae omnis ac moribus antiquissimis, im- 18
modice parcus, Curios aequaverat Fabriciosque. Eum 2
milites, quis exhausto iam perditoque orbe satis vide-
tur nihil, impulsore Didio foede iugulavere octogesimo
imperii die.
- 10 At Didius (an Salvius?) Iulianus fretus praeto- 19
rianis, quos in societatem promissis magnificentioribus
perpulerat, ex praefectura vigilum ad insignia domina-
tus processit. Genus ei pernobile iurisque urbani 2
praestans scientia; quippe qui primus edictum, quod
15 varie inconditeque a praetoribus promebatur, in or-
dinem composuerit. Hincque satis compertum cohi- 3
bendae cupidini ingenium ni iuvet, eruditionem imbe-
cillum esse, cum praeceptor et asper quidem rectius 4
vivendi in facinus processerit, quod novo suppicio
20 plectendum ediderat. Neque cupito tamen potitus diu.
Namque eum acceptis illico, quae acciderant, Septi-
mius Severus, qui forte Syriae legatus in extremis
terrī bellum gerebat, imperator creatus pontem pro-
xime Milvium acie devicit; missique, qui fugientem in-
25 sequerentur, apud palatum Romae obtruncavere. □

Igitur Septimius, Pertinacis nece, simul flagitio- 20
rum odio, dolore atque ira commotior cohortes prae-
torias statim militia exemit cunctisque partium caesis
Helvium senatusconsulto inter Divos refert; Salvii no-
30 men atque eius scripta factave aboleri iubet; quod
unum effici nequivit. Tantum gratia doctarum artium 2
valet, ut scriptoribus ne saevi mores quidem ad me-
moriā officiant. Quin etiam mors huiuscemodi ipsis 3
gloriae, execrationi actoribus est, cum omnes, prae- 4